Calvinus ad me 28 maij XII/223.

Status Galliæ minus recte compositus est quam existimes.
Regis Navarræ eadem quæ prius mollities. A Re-
gina matre aliquid interdum elicitur: sed hoc ipsum
quod concedit insidijs et perfidia refertum est. Mul-
tis in Urbibus tumultuati sunt Papistæ usque ad
cædes. Lutetiæ bis fortiter repressi sunt et male
mulctati. Curia, quæ Parlamentum dicitur
non tantum dissimulat, sed videtur in [illegible]
ducere: quo iterum accendatur in nos sævitia.
Vix tamen credibile est quam longe lateque
propagetur regnum Christi. Undique petuntur a
nobis ministri: et quanquam pridem exhausti
sumus, quæ est flagitandi importunitas, su-
mimus ex fæce. Curia Tholosana atrocior
est, quàm parisiensis. Multi adhuc illic sunt
in carcere: quidam nuper exusti sunt. Nisi
se opposuisset Regina Navarræ, quæ se multo
animosius et virilius gerit quàm maritus, du-
riter afflictæ fuissent multæ Ecclesiæ. Perexigua
spes esset, nisi quod Deus in erigendo filij sui regno
solet ex confusis principijs ducere exitus lætiores.
Ego cum video in omnium piorum cordibus
vigere invictam alacritatem, quæ nullis terro-
ribus cedit, maiore fiducia me sustento. Inte-
rim Lutherani suis bacchanalibus indulgere
non desinunt. Statui posthac madianiticas
eorum pugnas tacitus despicere: quia nulla
magis alia ratione confici possunt, quam proprio
impetu. Brentius quiescendo melius consulu-
isset famæ suæ. Nunc eo stoliditatis et demen-
tiæ erupit ut plus sibi accersiverit dedecoris
quam inimici optassent. Certe fieri non potest
quin hic unus actus probrosam eius sepulturam
reddat.

C.

Calvinus	10.
Camerarius	1.
Candidus	4.
Capito	20.
Carolostadius	1.
Cellarij	2
Cenyngus	1.
* Constantienses Min.	1.
Croaria	2.
Cutius	1.
Cirico	2.
* Claudius	2.
* Constantiensis Legati	1.

lag bei XII/223